



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Quatuor sunt de oratione. Dom. post Ascensio[n]is. Eua[n]. Cu[m] uenerit  
paraclitus. loh. 15 Homiliæ duæ

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

in uia pace, pro fructibus terræ. **O**rate inquam confiden-  
ter, humiliter, sedulo, intente & ordinate, ut sic dominus  
deus concedat gratiam & quicquid conducibile est uobis  
in hac uita, & post hanc gloriam in æterna felicitate,  
**Amen.**

## DOMINICA SEXTA

ET VLTIMA POST FESTVM

Pascha, super Euangelium

Iohannis XV.



**I**N illo tempore di-  
xit Iesus discipulis su-  
is: **C**um uenerit paracli-  
tus, quem ego mittam  
uobis à patre, spiritum  
ueritatis, q̄ à patre pro-  
cedit, ille testimonium  
perhibebit de me, &  
uos testimonium perhi-  
bebitis, quia ab initio  
mecum estis. **H**æc locu-  
tus sum uobis, ut non

scandalizemini. **A**bsq; synagogis faciēt uos. **S**ed **Matth. 10**  
uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur **Marci. 13.**  
obsequium se præstare deo. & hæc facient uobis, **Luc. 12.**  
quia non nouerunt patrem, neq; me. **S**ed hæc lo-  
cutus sum uobis, ut cum uenerit hora, eorum re-  
miniscamini quia dixi uobis.

**Johan. 15** **D**ominus noster Iesus Christus in postremo illa suo uereq; Augustali sermone, quem habuit apud discipulos suos, solcite ipsos & sedulo confirmare uoluit in fide. Atq; inter cetera, quum non parum consciencias eorum mouere istud potuisset, quod in Christum Iudæi credituri non essent: iam hic docet eos nullam habituros infidelitatis suæ excusationem. siquidem ne minimam quidem prætexere queant ignorantiam, quum tã euidentis sit doctrina Christi, ut in nullo refragari poterint: tãq; aperta & stupenda miracula illius, ut contradictionem non ferrent. Nunc porro tertiam adsignat rationem, quoniam & spiritus sanctus & apostoli illo confirmati, daturi essent testimonium Christo, Iudæi autem persecuturi illos, & ait: Quum uenerit paraclerus, quem ego mitam uobis à patre spiritum ueritatis, ille testimonium perhibebit de me &c. **Consolatur in hoc discipulos dominus, ut cum uisuri essent illum morte turpissima condemnatum mori, ne crederent eum penitus extinctum: hic ipsis prædicit missurum se spiritum sanctum paraclitum, quasi diceret, Tristes equidẽ uos uideo ex abitu meo, sed consolamini rursus, neq; enim deseram uos, sed paraclitum uobis mitram spiritum sanctum.** Augustinus uerba ista tractat in hunc modum: **CHRISTVS** hic discipulis suis prædicit, quod sicut ipse mundo & Iudæis exosus fuerit, ita post mortem quoque suam sit futurum, ita ut concepta de **CHRISTO** inuidia, nullam sit cum ipsius uita finem habitura. Nunc porro spiritum sanctum missurum sese promittit, per quem alij conuertantur, alij odio magis inflammentur: qui discipulis quoq; suis non sint quicquam condonaturi, in q̄ magistro eorum nõ percerunt. Poterãt aliã dicere discipuli ad **CHRISTVM**: Si sermones tuos, ut ais, non audierunt, neq; nostrum audient, frustra laborabimus inter eos, apud quos tua etiã tanta miracula nihil profecerunt. Quorsum ergo nos ablegas fructificatum, unde lucri nihil sit sperandum? Hæc & id genus alia præcauere uoluit dominus, promittens paraclitum se eis missurum, quide se præbeat se-

Simonium, testem magnum & præclarum, testem de cæ-  
 lis peritum ac ueracem, quia spiritū ueritatis, qui quomo-  
 do testimonium dedit Christo, testatur Acta apostolo-  
 rum, quando iam apostolos omnes impleuit, iam singu-  
 lacim Petrum ad loquendum cum fiducia uerbum dei, cū  
 fructu copioso baptizatorum & pœnitentium, de effuso  
 innoxio sanguine Christi, qui & eodem redēpti sunt san-  
 guine quem effuderant. Christi enim sanguis sic in re-  
 missionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiā  
 peccatum posset delere, quo fusus est.

Actus. 8

Augustini

Chrysost.  
Cyrillus.

2. ¶ Grauius utuntur his uerbis sancti patres aduersus  
 Arrium & Macedonium, nosq; in ecclesia latina contra  
 Græcam ecclesiam fortiter inde concludimus, spm̄ sanctū  
 procedere à patre & filio. id tu crede, & satis ē tibi esse per-  
 sonas in diuinis tres: primam dei patris, qui à seipso est:  
 secundam filij, qui à patre exiuit: tertiam spiritus sancti,  
 qui processit ab utroq; & id ipsum totum ab æterno. Hæc  
 nosse sufficit simplicibus, cætera ad scholas relegato.

Johan. 14

¶ Et quom dicit hic CHRISTVS, Quom uenerit pa-  
 raclitus quem ego mittam, ac paulo ante dixit, Paracli-  
 tus quem mittet pater in nomine meo, nemo hæc duo  
 à se inuicem diuidat. sicut enim & pater & filius mittunt  
 illum, ita ipse ab utroq; procedit. Quod pulchre designa-  
 uit Iohannes, quando in spiritu ostensum sibi fluuium re-  
 fert exeuntem à throno dei & agno. fluuius hic nimirum  
 spiritus sanctus est. Verum hoc penitus nobis intelligen-  
 re non datur, quod credere solum licet, eaq; fide pertin-  
 gemus ad uitā, in qua hæc omnia clarius conspiciemus.

Apoca. 22

Sed cur illum spiritum uocat ueritatis? aut quis tandem  
 ex tribus illis ueritas est? Sane cum in cōmune quælibet  
 pro se persona ueritas sit, hæc tamen proprie & uere si-  
 lio tribuitur, sicut de se testatur ipse, quom ait: Ego sum  
 uita, ueritas & uita. Atq; ideo spiritus ille, spiritus est ue-  
 ritatis, quia spiritus Christi filij dei. Et hoc est quod Pau-  
 lus dicit: Si quis nō habet spiritum CHRISTI, hic non est  
 eius, atq; iterum, Deus misit spiritum sanctum filij sui in  
 corda uestra, clamantem abba pater. Deinde igitur quoq;  
 spiritus dicitur ueritatis, quod apostolos omnem docuit  
 ueritatem: neq; ipsos tantum, sed in hunc quoq; diem unū

Johan. 14

Roma. 8  
Eala. 4

Johan. 16.

Matt. vii.

O iij

**Matt. ult.** uersam ecclesiam uerum docet euangeliū Christi, & docebit usq; ad consummationem seculi. Quum itaq; ille spiritus esset ueritatis, uoluit ei Christus merito credi, si dēq; certam adhiberi, si quando de se testaretur. Vere enim ille spiritus, quum ante eum figuræ tantum fuerant, & umbra ueteris testamenti.

**Augustin.** 3. ¶ Quid ergo facturus est ille ubi uenerit? Testimonium, inquit dominus, perhibebit de me, & uos testimonium perhibebitis. Testimonium perhibebit, ait Augustinus, in cordibus uestris, qui uobis aperiet omnem ueritatem, timorēq; omnem & pusillanimitatem auferet à uobis, igne diuini amoris accēder uos. inde & uos testimonium perhibebitis, partim doctrina uestra, partim miraculis & exemplis.

**Beda.**  
**Roma. 5** ¶ Ecce autem nondum perhibebant illi testimonium, quia perfecti nondū erant in intellectu suo, sed plane meticolosi & pusillanimes: atq; ideo nec capaces mysteriorum maiestatis diuinæ, ut ait Beda, neq; confirmati satis ad sustinendas iniurias & uolērias hominum. Verum ubi iam superuenit spiritus sanctus in corda eorū delapsus, tunc primum datus est eis intellectus rerum sublimium, simul & robur concessum quælibet aduersa tolerandi, quo utroq; quā diu carebant, poterāt adhuc negare dominū, deinceps rursus testimoniū daturi Christo, quod adhuc iam simul cum mundo dare nequibant, nisi prius perhiberet illud spiritus sanctus ipsis, diffusus iam in cordibus eorum: quod in Petro satis apparet, qui ad ancillule uocem cum paulo ante negasset dominum, nō multo post coram Iudæis & gentibus, imō & imperatore ipso testimonium Christo perhibuit: atq; die Pentecostes pro apostolis omnibus loquutus, prædicauit illum Iudæis, quem pauculis ante diebus morti tradiderant, & in cruce suffixerant. Ah itaq; si quem delectat tam suauius cum Augustino adeo sanctum spectaculum intueri, actus apostolorum legat, atq; ibi beatum Petrum, quem negantem doluerat, stupeat prædicantem. (rem admirandam) ecce Petrus, qui non poterat unicam ancillæ linguam Christi, mali molientem sustinere, neq; dare testimonium Christi, unius linguæ impatiens, non multo post aliquot ho-

**Matt. 26.**

**Actus. 2**

**Augustin.**

quis loquutus ipse, uariatum linguarum homines uno die conuertit ad Christum: tantus in eo erat fulgor gratia, tanta plenitudo donorum spiritus sancti, ut qui paulo ante meruebat pro Christo occidi, statim postea aliquot millia eorum qui Christum crucifixerant, conuertentur ad fortiter occumbendum pro Christo. Vtriusque etiam illius testimonij testis est Lucas, cum ait: **Et nos testes sumus omnium horum sermonum, ipseque adeo spiritus sanctus quem dedit deus omnibus qui obediunt illi. Atque iterum: Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Christi. Neque temere est quod ait dominus: Vos qui ab initio predicationis meae mecum fuistis, qui certo audistis & uidistis omnia, ueraces eritis mihi testes. Quam obrem & Petrus noluit neophytum aliquem eligere apostolum, sed aliquem ut dicebat, ex ijs uiris qui congregati nobiscum sunt omni tempore, quo intrauit & exiit inter nos dominus Iesus, testem esse resurrectionis illius nobiscum. Idem etiam, hunc, inquit, suscitauit dominus, cuius nos testes sumus, & ad Cornelium: Hunc deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praedictis a deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis &c.**

4. **Ratione deinceps horum omnium subdit dominus, declarans cur haec eis predicat, quia uerba illa magis ad sequentia, quam praecedentia pertineant, & ait: Haec loquutus sum uobis, ut non scandalizemini. Haec inquit quae de persecutione dixi & odio mundi aduersum uos, predicere uobis uolui: quoniam quae prouidentur iacula, minus feriunt, ne itaque perturbemini, siquidem spiritus sanctus ille paraclitus pacabit corda uestra, dicente Psalmista: Pax multa diligenteribus legem tuam, & non est illis scandalum. Ideoque & charitas per spiritum sanctum diffusa est in cordibus discipulorum, ut sic multam pacem haberent in pectore bene confirmato, & immunes fierent ab omni offendiculo. Multumque praedat eis haec admonitio, quam obfirmare poterant animam in omnibono aduersus imminentes tentationes. Quomodo Sapiens filium abeuntem ad cultum dei stare iubet in iustitia & timore, atque omnino animam suam parare ad tentationem. Et Christus itaque quia in haec uerba discipulis loqui uoluit: Si enim uobis te**

Actu. 5

Actu. 4

Actu. 2

Actu. 2  
Actu. 104

Augustin.

Gregori.

Psalm. 118

Roma. 5

Eccl. 2

- stibus, tot tantisque mirabilia feci, si paraclitus quoque in uobis similia faciet, nec tum Iudæi ad meliora reducentur, nolite conturbari, memores uerbi quod loquutus sum uobis, quia non est discipulus super magistrum. Sequitur: Absque synagogis facient uos. Graue & magnum hoc erat apud Iudæos, non inferius excommunicatione nostra: unde contemptus quis erat omnibus, illudque in repulsa synagoga iam ceperant Iudæi exercere aduersus
- Luce. 6.** Christianos, conuenerant enim ut quisquis CHRISTVM confiteretur, e synagoga eiceretur, & multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter pharisæos non confitebantur, ut de synagoga non eicerentur. dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam dei.
- Johan. 9.** ¶ Dices: Quantulum hoc fuit eis, ut de synagogis Iudæorum eicerentur, cum aliis non magnopere curabant ingredi illas? Verum sane hoc est, non multum laborabit synagoga intrare ratione ceremoniarum; at tamen ipsis hoc ignominia dabatur & magno contemptui, tales haberi se, qui indigni essent aliorum conuersatione.
- Johan. 12.** Augustinus quoque altius quid hic inquirat, & dicit CHRISTVM hic prædixisse duritiam Iudæorum, qui accepturi non essent euangelium suum, & constantiam discipulorum, quoniam fidem & CHRISTVM deserturi non essent, ut sic necessario uelut auulsa synagoga sit ab ecclesia: quoniam si & Iudæi credidissent, permansissent utique tanquam uiui rami in oliua fructifera, factumque esset corpus unum ex synagoga & ecclesia, cum iam diuisio facta sit, duratura tantisper, dum reliquiae Israel saluæ fiant, & conuertantur ad CHRISTVM. Iudæi itaque non agnoscentes iustitiam dei, dum uolebant suam statuere iustitiam, apostolos CHRISTI eiecerunt ex synagogis: quod quanto deus immortalis, melius eis fuit, quam si permansissent in iustitia Iudæorum? Hoc est quod de ipsis regius propheta præuidit, quando dixit: In lumine uultus tui, lumine scilicet fidei, ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, in iustitia tua (super iustitiam synagoga) exultabunt, quoniam gloria uirtutis eorum tu es. sic enim Christus gloria & uirtus est omnium credentium. Et Iudæi hoc quidem absque synagoga fecerunt apostolos: qui si oēs credidissent,
- Roma. 11.**
- Roma. 9.**
- Roma. 10.**
- Psalm. 88.**

sent, synagoga quoque penes ecclesiam & in ipsa mansisset. Porro quid inter templum & synagogam intersit, aliter explicabimus. Nunc hæc dicta sufficiant. Interim de precemur dominum pro omnibus necessitatibus ecclesiarum &c.

POSTERIOR HOMILIA DOMINICA  
sextæ post festum Paschæ.

**C**um iam dominus multa discipulis suis enarrasset de prodicione Iudæ, de offensione & fuga illorum omnium, de trina Perri negatione, iamque uideret animos eorum metu & anxietate perturbari, rursus consolatus est ipsos, sed ita, ut tamen subinde amara dulcibus commiseret. Inter cetera spiritum sanctum simul & ipsos testimonium sibi daturos prædixit, sed pro eo illos nihil accepturos, nisi eiectionem ex synagoga. quod cum ex minimis aliquid esset, addidit etiam hoc maius: Quia uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare deo. Quo nimirum hoc denunciare uoluit, quia Iudæi Christum non fuerant recepturi, a quo apostoli non erant recessuri, quasi diceret: Tam multi in me credituri sunt per uos, ut etiam istorum repulsa ex synagogis, nil eos adiuuet, promoueat magis euangelii profectum, dum etiam in me credentes occideret, totum id facturi quasi ex zelo, sed non secundum scientiam. Sed & occidendo lapidandoque Stephanum, qualem habuerunt zelum Iudæi? Talem nimirum, quoniam legem habebant ex deo per Moysen, sacrificia habebant & templum, hæc omnia mordicus tueri atque tenere uolentes, cum audiebant prædicationem Christianorum ad destructionem & interitum illorum tendere, factum est inde, ut ex zelo persequerentur prædicatores eorum in mortem usque, non excusante tamen ipsos quocumque illo zelo quem habebant. Huiusmodi persecutor fuit & Paulus, qui de seipso scribit in hunc modum: Audistis enim conuersationem meam in Iudaismo, quoniam supra modum persequabar ecclesiam dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æ-

Lucæ. 10

Johan. 16

Augustin.

Roma. 10.

Actu. 7

Gala. 1.



mulator existens paternarum mearum traditionum.  
**Sic** fecerunt qui in concilio sedebant aduersus Christum,  
 dicentes: **Si** sic permittimus & sinimus illum uiuere, ueni-  
 ent Romani, & tollent à nobis ciuitatem & gentem, rati  
 semper legem suam, templum & sacrificium manere de-  
 bere. Et hoc est quod hic dominus dixit, quoniam puta-  
 bunt obsequium se deo sic præstare, quasi dicat, Eo usque  
 atrocitatis prorumpet, ut sacrificij uim in cæde uestra po-  
 sitam putet. Ad hunc modum plures quam quadraginta  
 uiri uorum uouerunt, se nec manducaturus nec bibituros  
 antequam Paulum occiderent: qui & ipse antea literis ac-  
 ceptis Damasci pfectus erat in hoc, ut quoscumque huius uia: ui-  
 ros aut mulieres inueniret, uinctos adduceret in Ierusalē.  
 2. ¶ Rationem porro temeritatis tantæ Iudæorum  
 adsignat, eo quod credent in hoc obsequium se præstare  
 deo, & quia dicit dominus, non nouerunt patrem neque  
 me. Hoc uos ergo, ait Chrysostomus, satis consoletur, quod  
 propter me & propter patrem hæc patiemini: ideoque &  
 deus persecutionem illam propter nomen suum factam  
 remunerabit, iuxta illud: Beati qui persecutionem patiun-  
 tur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cae-  
 lorum. Beati estis cum maledixerint uobis homines, & per-  
 secuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos  
 mentiētes propter me. Beatitudo hæc a apostolis maximo  
 semper fuit solatio in omni tribulatione, quoniam in om-  
 ni Iudæorum persecutione simul aliqua eorum concurrebat  
 ignorantia, quam obrem & dominus dixit, quia non  
 nouerunt patrem neque me. sic & Paulus ait, Zelum habet,  
 sed non secundum scientiam, & hoc est quod ille de se scrip-  
 psit, Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contu-  
 meliosus, sed misericordiam dei consecutus sum, quia igno-  
 rans feci in incredulitate. Hæc ergo apostolorum fuit con-  
 solatio, quod eos Iudæi persequerentur ex ignorantia &  
 errore, non ueritatis amore, sed ex mero zelo erroris, quia  
 nimium à uera uia errauerunt. Id omne prædicere uoluit  
 eis Christus tanquam futurorum omnium præsciens, non  
 ut ipsi inde metum conciperent, sed ut cum fierent illa,  
 memores essent, omnia sibi antea à domino prædicta: sic  
 que & admirarentur magis, & constantiores fierent in se

Johan. 11.

Cyrillus.

Actu. 25.

Actu. 9.

Chrysost.

Matth. 5.

Roma. 10.

1. Tim. 1.

de. Quæ sane summa tū apostolis, tū martyribus in omni-  
bus supplicijs fuit cōsolatio, ex ijs uerbis Christi nata: quo-  
rum fiducia magis confirmarētur auxilio & gratia Chri-  
sti, quàm persequentium crudelitate adficerentur.

3 ¶ Et hic iam quæstio nascitur, multa indigens explica-  
tione: Quando hic dominus ipse testimonium dedit il-  
lis qui apostolos occiderunt, quod arbitrati sint obsequi-  
um se præstare deo, & ipsi sine dubio grauer peccârūt  
fundendo sanguinem innoxium: quanto magis nos mise-  
ri peccamus, qui scienter malo animo multa flagitia per-  
perramus: Sic iam clamant nostrates bono & pio adfectu  
se omnia facere, abrogare missas, horas canonicas, dies  
anniuersarios & festos sanctorū abolere: hæc omnia in ho-  
norem dei & gloriam uerbi sui sancti se facere clamant,  
& tamen mugæ meræ sunt. Amplius quærat aliquis pro  
Iudæis & tyrannis antiqs, atq; istis neochristianis. Cum  
ita sit, ut uulgo fertur, Quicquid agunt homines, intentio  
iudicat omnes, sicq; qualis qualis est intentio, tale factum  
efficitur, & à fine omnia denominantur: finis autem hic  
bonus est, quia honor dei, ergo & opus bonum. Quò fa-  
cere nidebit istud Christi: Si oculus tu simplex est, totum  
corpus lucidum erit, ubi nomine oculi, intentio significa-  
tur. Nec dubium est inter Christianos fieri, quæ sola intē-  
tione bona excusant. Ad hæc respondens, dico aliud esse,  
intentionem rectam, & aliud, bonam habere, eo q; in bo-  
na intentione error se intricare facile potest, qui illā cor-  
rumpat: & licet ea ex fine sit bona, tamen aliæ adhuc cir-  
cūstantiæ inficere ipsam possunt, ut sit minus bona. Re-  
cta autem intentio est uoluntatis nostræ operatio, qua illa  
uero mō & medio tendit in bonū. Sequit inde, fieri pos-  
se ut si finis per se bonus, non uero mō intendat, opus bo-  
num non sit, neq; intentio recta, sicut em̄ opus in se malū  
ex fine bono bonū nō fit, ut si quis furetur, ut habeat un-  
de det elemosynas, ubi locum habet istud Paulinum, Nō  
debet facere mala ut eueniant bona: ita hic quantumuis  
sine bono existente, si media bona non sint, opus nihilo  
melius efficitur. Eo pertinet quod supra de Iudæis addu-  
ximus ex Paulo: Zelum habent, sed non secundum scienti-  
am, Et error itaque & inscitia perdit opus, dicente

Matth. 6

Intentio.

Roma. 3

Roma. 10.

Isaie. 5

Isaie. 7

domino per prophetam: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Sic iam de neo christianis dici posset, qui uere forti uinculo blasphemie & hæreseos constricti tenentur à diabolo, quamobrè? quia intelligentiam ueram & cognitionem non habent. Conclude itaq; & nota peculiariter, intentionem non idcirco esse bonam, quia proponit sibi finem bonum.

¶ Constat itaque, finem solum non sufficere, quid igitur reliquum? id ipsum iam consideremus oportet, & dicamus defectum hic esse & uitium in ignorantia siue errore, quibus & hic solus satis non faciat. Hoc declaremus: Iudei si scissent fidem apostolorum rectam fuisse, non persequerentur eos essent usq; in mortem: neochristiani quoq; si nosset id ipsum, quod faciunt temere in imaginibus sanctis, missis, & sacramentis impugnandis, esse peccatum, plures eorum abstinerent. Ecce igitur quomodo error concurrit

Augustin.

& ignorantia. Error autem hic non satis est ad contemnendum, cum dicat Hieronymus & post eum Augustinus: Errare possum, hæreticus esse non possum. sic Cyprianus martyr errauit circa baptismum hæreticorum, Papias, clu. 7. apologeticè.

Hiero. de uiris illust. &amp; Papias cōclu. 7. apologeticè.

¶ Irenæus, Victorinus, Sisiburus rex catholicus cogens Iudeos ad baptismum, & alij complures, quibus tamen nec error fuit perniciosus, neque opus ideo deterius redditum, quando non accessit pertinax assensus uoluntatis. Hæc enim duo sunt, quæ demum faciunt hæreticum, error in intellectu, & pertinax erroris defensio in uoluntate. Et esse eadem pertinaciam istam graue peccatum, ex illo liquet, quod

Johan. 15.

dixit dominus: Si non uenisset & locutus eis fuisset, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Ecce quomodo peccatum eorum adfectus ille pertinax & perseverans in malo animus diiudicat. Radix tamen & origo prima omnium, quotquot unquam errarunt, est inordinata concupiscentia uel infecta & uitriata uoluntas, puta odio, timore, amore, auaritia &c. Adprobare enim, ut ait Augustinus, falsa pro ueris, non est natura hominis instituti, sed pœna damnati.

Augustin.

¶ Pertinax uero habendus est, quisquis errorem semel & prælibatum & conceptum deserere non uult, neq; studiose ueritatem indagat, neq; ostensam sibi adsumit,

neq; peritis hominibus opinionem illius falsam declarantibus credere & assentiri vult. Quisquis itaq; suo tantum innixus capiti, suæ tantum confidit sapientiæ, is vere pertinax est: & sic docendus, ut ait Gerson, non est, qui male suum errorem defendere quàm corrigere.

Deque.  
Gerson.

Hinc patet quàm exitialis & contagiosus sit morbus, planeq; insanabilis huiusmodi pertinacia, quoniam hic semper damnabilis concurrens præsumptio & superba temeritas. Væ igitur ecclesiæ, quàm tale caput, insanum scilicet & pertinax regit, ubi oportet omnia perturbari. Recte nimirum & prudenter dixit Paulus: Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est & delinquit, cum sit, p̄prio iudicio condemnatus. Etiam inde ratio peti potest, cur hæresis alicuius autores conuerti solent raro ad fidem ueram, peruersi enim sunt, & plerumq; ubi reuocârunt errores suos ex animo tamen id non fecerunt. Sic Pelagius reuocauit in concilio Mileuirano in Africa, sed parum promouit, quia non multo post in multis articulis relapsus est in lûtum hæresis suæ, perinde ac ad uomitum canis. Berengarius, qui idem olim sensit, quod infelicit hoc nostro seculo Zuinglius & Decolampadius, non esse in sacramento altaris uerum Christi corpus, in publico concilio errorem suum reuocauit coram Pontifice summo Nicolao: neq; tamen remansit, sed bis uocatus, toties etiam recidit in errores, ut testatur episcopus Roffensis. Hieronymus Pragensis, Iohannis Hufs comes & assecla, non reuocauit tantum, sed & plane abiurauit hæresim: rursusq; in illam relapsus, quamuis ad asylum suum festinaret Boemiam, in itinere tamen a Iohanne duce Bauariæ apud ciuitatem Hirsau captus, atq; deinceps in concilio Constantiensi combustus est. Non desunt iam ex neochristianis quidam, qui reuocata & abiurata hæresi sua, plerumq; tamē perfidi reciderunt in cœnum hæreticum: & in eo diu pro uolunt, a principibus tamen suæ factionis & fidei in cancellarios, consiliarios & episcopos electi sunt. Quàm dignum patella cooperulum.

Citi. 34

De conse.  
dist. 8. ego  
Berenga.

Roffen.

6. ¶ Quando itaq; error est in intellectu, & pertinacia in uoluntate, sequitur, quæ quanquam in rebus ambigua

- Person.** is protestatio generalis etiam sub cōditione facta, tamē in articulis fidei uel rebus iam olim ab ecclesia constitutis, protestatio talis non solum non releuat facientem, sed etiam suspectum magis facit, ut cum iam neochristiani clamant: Nouit deus q̄ si scirem ueritatem hanc esse, uolero crederem corde ad iustitiam, & ore confiterer ad salutem. Quoniam simul cum tali protestatione, infidelitas, offendiculum & superbia consistunt. nō minus igitur facit aut tuuat, quā si quis peccatum absolute cōmissum sub conditione confiteret, cum tamen iuxta constitutionem Calixti, manifesta peccata nō sint occulta correctione purganda. Id enim si licet, nullus unq̄ fuisse haereticus, cum omnes dicant se Christianos esse, nec quisq̄ se malle quā catholicos haberi, facileq̄ informationē suscipere, modo certum habeant, eam quam tuentur opinionem, fidei & deo aduersari. Hoc quotquot unquam fuerunt haeretici, omnes dixerunt, sed nequicquam. Quin potius hic locum habet istud uulgi: Simulata æquitas est duplex iniquitas. Sic Iudæi persecutione sua putarunt obsequium se præstare deo, sic de se Paulus iudicat ad Galatas scribens, rationemq̄ reddit ad Timotheum. sic de alijs quoq̄ Iudæis sentit ille, ut supra citauimus. Sic Iudæis dixit Petrus in templo: Nunc scio quia per ignorantiam fecistis uos, sicut & principes uestri. Christus q̄q̄ pro eis orabat in hunc modum: Pater, dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt. Si enim peccatum non haberent, Christus pro eis nō rogarer, ut dimitteretur peccatum. Sic Stephanus etiam lapidantes se dixit nescire quid facerent. Atqui nocua est ignorantia huiusmodi & damnabilis, & in haereticis multum malitiosa: quoniam quisquis sic ignorat, etiam ignorabitur. sic igitur inscitia sua nostrates peccat haeretici, ut de eis merito dictum uideri queat illud Psalmi.
- 1. Cor. 4.** Nescierunt, neq̄ intellexerunt, in tenebris ambulant.
- Psalm. 81.** ¶ Admonendi quoq̄ hic mihi estis eius discriminis, qd
- Augustin.** Augustinus inter haeticum ponit scientem & ignorantem. Neq̄ enim sic accipiendum est, quasi haeticus sciat se esse haeticum: sed is demum sciens dicitur haeticus, qui scit opinionem suam contrariam esse sanctionibus ecclesiae catholicae, ut quando iam Lutherani intercessionē

sanctorum elidunt, scientes errorem hunc esse Vigilanti, iam olim a sancto Hieronymo & ecclesia refutatam: Hierony:  
 & cum liberum hominis negant arbitrium, quæ hæresis est inueterata Manichæorum ab Augustino confutata. Quis  
 quis in hunc modum articulum ab ecclesia condemnatum & pro hæretico declaratum tueretur, ipso facto sciens est  
 hæreticus. Sic Papa Gelasius dicit: Maiores nostri diuina inspiratione cernentes necessario præcauerunt, ut  
 quod contra unamquamque hæresim coacta semel synodus, 24. q. 1. 20.  
 pro fidei communionem & ueritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent nouis posthac retractati  
 onibus mutari: sed autore cuiuslibet insaniam ac pariter errore damnato, sufficere iudicauerunt, ut quisquis aliqui  
 huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus. Similiter sciens est  
 hæreticus, qui libros ab ecclesia receptos, reicit, ut iam Lutherus epistolam Iacobi, Zuinglius Apocalypsim Iohannis, Decolampadius etiam Machabæos ex canone explosit.  
 7. ¶ Ex prædictis sequitur, satis non esse ad excusationem erroris, si quis paratum se clamitet ad emendationem. communis enim hæc est hæreticorum protestatio, & cum primum ad correctionem uentum est, resiliunt, superbiunt, tumultuantur. Quod si sancti patres eis adferantur testes, clamant eos quoque homines fuisse. Sin citentur canones, obgannunt statim frigida hæc esse decreta. Si eligendi forte sunt iudices, recusant subito, dicentes Verbum dei non ferre iudicem. Quod si alligentur concilia, clamitant ea sæpius errasse. Atqui e sacris literis etiam si adferatur aliquid, & has suo ingenio tractant, suamque tamen expositionem ratam haberi uolunt, contradicente etiam uniuersa ecclesia iam inde a temporibus apostolorum. Hæc nimirum sunt istæ foueæ, in quibus sese intrudunt uulpeculæ nostræ, demolientes uineam ecclesie Christi. Atque ideo Papa Stephanus monet, hæreticis dicentibus paratos se esse ad emendationem, credendum non esse, & tunc maxime, cum contraria ipsi sibi docent: namque id ubi primum faciunt, apostate fiunt. Innocen.  
 et hoc est illud Innocentii: Qui negat catholicam ueritatem, quam quidam de  
 prius agnouit esse catholicam, peior est infideli. Quid multa? ap.

Euasiones  
 hereticorum.

Deut. 17

Quicumq; dum errat, legitime ab ordinario suo iudice, iuxta formam iuris correptus non desistit, neq; emendatur: iam iam pertinax est, & in ueteri testamento olim capitis reus fuisse, sicuti nunc neochristiani à summo pontifice condemnati sunt. **Ecce autem sic præcepit dominus,** Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas tuas uideris uerba uariari: surge & ascende ad locum quem elegerit dominus deus tuus, ueniesq; ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis qui indicabunt tibi iudicij ueritatem: & facies quodcumq; dixerint qui præsumt loco, quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequerisq; sententiam eorū, neq; declinabis ad dextram, neq; ad sinistram. **Qui autē superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille: & auferes malum de Israel, cunctisq; populus audiens, timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.**

Ephes.

**¶** Ecce quam serio & grauer iam olim in synagoga Iudæorum dominus finale iudicium cōstituit penes summum sacerdotem in omnibus rebus dubijs, dictata etiam pœna & supplicio mortis inobedientibus. **Quis iam stolidus adeo esse poterit, ut dicat Christum ecclesiam, quam sanguine suo redemerat, non etiam tali iudice, publico omnium dubiorum diremptore, præmunuisse, qui nihilo inferiorem haberet potestatem isto legali sacerdote?** Profecto enim nisi id ita esset, male prospectum foret ecclesiæ, si quando quid ambiguitatis in illa exurgeret. **Hinc illæ lachrymæ, hinc istud malum, quod neochristiani nullum tolerare uolunt iudicem, nisi ipsam scripturam. Et pulchre sane, atq; ad pertinaciam & temeritatem commodissime; quoniam illa hic iacet, nec quenquam remouet etiam mors & indigne tractata, non ab similibus Aescopico isti ranarum regi, ut illi eam discernunt, laniant, miserisq; diripiunt modis.**

s. **¶** Manifesta itaq; hæc pertinacia est, cum quis in fi de errans, subiicere se non uult emendationi eorum, quo-

rum interest. Et quid mirum? quàm diu enim malum o-  
peratur, odit lucem, nec uenit ad illam, ne forte opera ei-  
us arguantur. Sic Leo inquit, præclare quidem & suo mo-  
re grauitur. Quid iniquius quàm impia sapere, & doctori **Johan. 7**  
bus non credere? Sed in hanc insipientiam cadūt, qui nec **24. 9. 3.**  
ad ueritatem agnoscendam aliquo impediuntur obstacu-  
lo, nec ad propheticas uoces, nec apostolicas literas, nec  
ad euangelicas autoritates, sed ad semetipsos recurrunt.

¶ Et sic quisquis eò insanix demergitur, ut plus sibi  
uni quàm toti mundo & tribuat & credat, manifeste per-  
tinax est. Gerson extollit istud eximiū Climachi & nobi-  
le dictum: Qui sibi dux esse uult, spreto duce proprio, nō **Gerson.**  
iam indiget dæmone tentante, quia ipse sibi factus est dæ-  
mon. Manifestam tamen istam pertinaciam auget, cum  
quis ad tuendum errorem suum alios quoq; iussu, minis,  
promissis, prece & precto inducere conatur: quoniam eui-  
dens hoc est argumētum, illum, institutum cceptumq; su-  
um errorem irrefragabiliter defensurum. Quicūq; enim **Luce. 12**  
cum Christo nō est, contra eum est: & qui cum eo nō col-  
ligit, dispergit. Cuiusmodi iā, pro dolor, plurimi sunt  
ex ciuitatibus & nationibus qui dispergunt, eo quòd de  
numero sunt illorum, qui execrabiliter resistunt uerita-  
ti, non secus ac Iannes & Mambres resistunt Moysi. Ve-  
rum proculdubio illis eueniet iuxta illud uerbum Apo-  
stoli: Resistunt ueritati, homines corrupti mente, repre-  
bi circa fidem, sed ultra non proficient. Insaniant itaq;  
sæuiant & tumultuentur iam neochristiani ut luber. per-  
mittit enim hoc eis deus ad tempus. Attamen adhuc tan-  
dem succumbent, & stultitia ipsorum innotescet omnib.  
Veniet namq; tempus, quando implebitur in contempto  
ribus ecclesiæ ista propheta Christi dicentis: Amen dico **Matth. 10**  
uobis, tolerabilius erit terræ Sodomæ & Gomorrhæ in  
die iudicij, quàm tali ciuitati. Vis scire fundamentum im-  
pudentis ad eò & stolidæ sæuitiæ potētum istorum, aduer-  
sus ecclesiā tumultuantium? En uno uerbo tibi, **SUPER-**  
**BIA** est. Et ad hoc pulchrum ecce & notabile dictum Hie-  
ronymi super Abdiam: Tumor hæreticæ mentis confidē-  
tium in mysterijs & secretis suis, & quantum in ipsis est, **Hierony.**  
repromissentium sibi regnum cælorum, & quod Dauid



**Psalm. 71.** inquit, Posuerit in cælum os suum, & lingua eorum trans-  
**Abdi. 1** it in terra: & sicut Abdias inquit, Superbia cordis tui ex-  
 culit te. Subscribit Hieronymus: Quis hæreticorum non  
 in superbiam extollitur, ecclesiæ simplicitatem paruipen-  
 dens? Sic quod imagines sanctorum uenerat ecclesia, Ca-  
 rolstadius quid uocat, obsecro? simplicitatem. Quod mis-  
 sam sacrificium esse pie credit ecclesia, quid sentit Lutherus  
 esse? simplicitatem. Quod uerum Christi corpus sub spe-  
 cie panis in eucharistia esse sancte credit ecclesia, quid ad  
 hoc quondam Zuinglius? simplicitatem esse cõrendit, ad-  
 mirabundus nos persuaderi etiam à Christo potuisse in re  
 tam non possibili. Horreo plura dicere super blasphemis  
 tantis, quos isti tamen claudi, uno stantes pede profundius  
 elati & insolentes. uolunt diuinæ omnipotentiae metam  
 ponere & obstacula, imperiti scripturarum, & uirtutis di-  
**Matth. 23** uinæ ignari. Porro tam obstinati & indurati plerumq; red-  
 dunt hæretici, ut cõstantiores magisque obfirmato animo  
 sæpe sint etiã ad mortem pro erroribus suis obeundam, &  
 multi fideles pro fidei catholice ueritate, neq; desunt ex-  
 empla hæreticorum, qui uelut tripudiantes cum ad sup-  
 plicium ducerentur, cecinerint: Homo dei ducebatur, aut  
 simile quiddam. Quod si autem hæreticorum mortem &  
 cædem sanctorum conferamus supplicijs, plurimum sane  
**Psalm. 117** uidebimus discriminis, non eo statim, quod preciosa est  
 mors illorum, hæreticorum uero interitus sempiternus &  
 execrabilis, sed etiam ratione gaudij ac uoluntatis mori-  
 di, qua de re iam diximus. Nam quod exultat hæretici ad  
 mortem properantes, gaudium tantum est beluinum quod-  
 dã & furiosum, efferum, planeq; insanum, desperatione  
 plenum & uana opinione, expers omnis dulcedinis & gau-  
 dij spiritalis. neq; aliter faciunt quam latrones quidã aut  
 principum ac patriæ proditores, aut ciuitatum hostes, ge-  
 stientes etiam, cum sint iam morti proximi. longe aliter  
 autem se habet lætitia sanctorum martyrum, quæ in cha-  
 ritate dei est radicata, non contumax, sed benigna, patiens,  
 suauis, plena spei & fidutiæ, planeq; talis, quæ suauiter in-  
 tus animum solatur & recreat spiritum, exterius uero est  
 am dolorem corporis minuit. Hæc itaque diuersitas est  
 martyrum diaboli, & ecclesiæ, qua de re aliàs plura. uide

Gersonem.

9. ¶ Quam uulgare, tam uerum est illud, Nulla calamitas sola. semper enim abyssus abyssum inuocat. atque ideo non finit deus quenquam tam abominabile peccatum & crimen hæreseos incurrere, nisi plura concurrant simul, puta superbia, ignorantia, negligentia, pusillanimitas, philautia & multæ inordinatæ adfectiones mentis. Ut igitur quilibet catholicus possit se facile ab incursum istiusmodi luporum præmunire, simulq; considerare stupa penda iudicia dei; age breuiter iam expediamus, unde fiat quod finit deus aliquem cadere in tam abominabile scelus hæreseos.

1. ¶ Et primo statim loco se offert ignorantia eorum, quæ captus & intellectus hominis adsequi posset, id ita intellige, Cum primum aliquis eò temeritatis peruenit, ut iam sibi uideatur sapientissimus: conetur etiam illa diducare, quæcunque sunt in ecclesia, & iam de emendatione singulorum cogitet, ad huiusmodi insolentiam & superbiam, planeq; uesanam philautiam ubi quis peruenit, uisus iam sibi intelligere omnia, se sapere solum, nihilq; faciat quicquid omnibus retroactis seculis sit actum in ecclesia: hæc nimirum horrenda & plus quam Luciferiana est superbia neochristianorum. Aut quis non extremam temeritatem, nescio dicam magis an stoliditatem, æstimet, si quis sic dicat, In hac ciuitate N. sunt senatores, sunt consules quidam, sed ætate ac prudentia non item ualentes. si tantam sibi arrogat sapientiam, ut maiores suos omnes (qui tamen homines fuerunt prudentissimi) longo interuallo multisq; parasangis post se relinquunt, imò ut præ se ecclesiam catholicam totam spernât, contemnât, calumnientur. Vnde hæc omnia: quoniam intellectus sui capacitatem probe satis dimensum non sunt, ita ut non nõrunt quantum capiat. nam de intellectu nostri imbecillitate tora undiq; plena est scriptura. Ecce enim magnus ille & præclarus propheta clamauit ad dñm: **AAA** domine, nescio loqui. Et isti scioli senatorculti, belluli scilicet consiliarij, qui consilij sui modum ignorant ipsi, statim sciunt omnia, uerentur neminem, nõrunt quid mysteriorum cõclusum sit in cælestibus, qm̄ in hoc Paulũ superât,

P. ij

Gersonem.

Cur deus  
finit homi-  
nes cade-  
re in hæ-  
resim.

Jeremi. 23

quod in quartum etiam cælum perruperunt ultra illum. Vah vah dementiam hominum. Vah astum & dolos diaboli, qui pro sapientissimis habitos ad tantam tū confilio insaniam. Sed quando tanta eis tum ciuilitas tū confilio peritia insit, unde fit ut ignorent istud Socratis. Hoc scio

**Laertius.** quod nescio? Vere hic mensuram nouit intelligentiæ suæ & capacitatem, loquens utiq; hoc non de ciuilibus rebus, quarum erat peritissimus, sed de cælestibus. Hoc etiam est

**Bernar.** quod Bernardus dicit: Non est nihil, re scire, te nihil scire. Nimum insisto, quamuis id exigat materia, uos tamen cū sitis catholici, istis monitis nō multum indigeris: & apud quos opus esset hæc dicere, non audiūt illa, quoniam obicem posuerunt iam olim spiritui sancto, moreq; Turco non ferunt aduersus errores suos quicquam prædicari: imō ut superent Turcas impietate sua, missas quoq; celebrari apud se non sinunt. Hi itaq; isti sunt homines licentiosi, qui cum licentia cupiunt intrare infernum. Diabolus enim est protector eorum. O domine Iesu Christe, ne finas obsecro illos sic perire, quin potius illumina uultū tuum super eos, neq; permittes ipsos in tanta superbia demersos interire. Non fuit animus eousq; extendere mariam illam, sed huc me impulit zelus domini, & salus uestra, omniumq; qui misere adeo nunc à crudelissimis istis tyrannis opprimuntur & coguntur aduersus dei, pontificum, Imperatorum ipsiusq; adeo naturæ leges, ad obseruandas illorum perditissimas constitutiones. Nunc breuiter percurramus quæ restant.

10. ¶ Ex multis quæ adnumerari possent, neq; nulla nec postrema hæc quoq; causa est, quoniam intellectum suum quem à uera fide auocāt, ad errores istos conuertit, ita submersi in illis, ut quicquid contrarium sapit, etiam

**Proue. 18** audire nolunt, iuxta istud Sapiētis: Stultus nō recipit uerba sapientiæ, nisi ea dixeris quæ uersantur in corde eius, sicut enim non potest uidere homo quæ retro eum sunt, ita hæretici ubi semel à fide auersi fuerint, retrospicere non possunt ad fidei ueritatem, tantum in ea quam ceperunt ingredi, semita spinosa errorum pergunt: neq; aliud aut uident, aut considerant, sicut Dauid inquit: Verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere ut bene age

**Psalm. 35**

ret. Quid quod etiam si miracula operetur deus, cuiusmodi exhibita sunt plurima aduersus Lutheranos, tunc quoque recusant credere? Quid quod nec scripturas, nec rationes solidas patrum accipiunt, nec doctorem aliquem legunt? aut si qui sunt, qui legunt, qui tamen sunt paucissimi, in quoque non eo legunt animo, ut inde ueritatem colligant, sed tantum tenebrarum suarum caligine, illa quoque probata sanctorum patrum scripta obfuscant: sicque eis fit, quod praedixit Dauid: Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulat. & istud quod Isaias ait, Neque uident, nec intelligunt, ut confundantur.

¶ Ratio tertia assignari potest, tum sublimitas credendorum, tum ruditas intellectus humani. Quomodo Capharnatis obrusior est intellectus, quam ut percipiatur credantque, diuina potentia corpus unum in diuersis esse locis posse. Sic etiam accidentia panis sine subiecto in sacramento esse renuunt Lutherani, nolentes credere istud Pauli, captiuandum esse intellectum nostrum ad obsequium Christi. Quam hic currus, quod aiunt, bouem trahit, cum oporteat prius credere quam intelligere, iuxta illud Christi ad Martham: Si credideris, uidebis gloriam dei. Istis autem, qui cum ante fidem cupiunt intelligere, dici potest illud Isaiæ: Nisi credideritis, non intelligetis. (secundum Septuaginta. & ita legit Augustinus) Quicumque autem uere pii sunt Christiani, intellectum suum eleuant lumine fidei ultra naturam & uires illius, atque admirandi & acroniti stupent omnipotentiam dei. Hoc est quod Augustinus dicit: Deus lumen est, sed pectorum & animarum, non corporum. lumen hoc quisquis non uidet, similis est caliganti in sole.

¶ Magna quoque eius rei causa est negligentia inquirendi auxilii diuini, & socordia credendi. fides enim non ex natura, sed donum dei est. atque ideo nos quoque decet nimium non tribuere sapientiae nostrae, sed deprecari dominum pro incorrupta fidei integritate, & clamare: En credimus domine, tu modo adiuua incredulitatem nostram. Et iterum: Domine, adauge nobis fidem. Expressit hoc quoque Paulus, dicens: Gratis saluati estis per fidem, non ex uobis, quia donum dei est. Nostrates autem neo-

**Psalm. 117** christiani nouellis quoridie chartis insident, atque ex se ipsis indies nouam fidem excogitant, nihil minus facientes, quàm ut illam petant à deo. Errant igitur, & cum alijs omnis homo sit mendax, ipsi fiunt mendacissimi. Vespertilioes tantum sunt hæretici, & ululæ, noctu tantùm circumuolitant, nec unquam ad solem perueniunt iustitiæ, dum magis amplectunt rancidos hæreticorũ cõmentariolos, quàm iusta sanctorum patrum uolumina. Nonne enim sic est? magis placebis neochristiano alicui, uel corrosus illi adferens libellum **Vuiclephi, Rockenzani, Hussij & similibum**, quàm si recens inuentum, & antehac nunquam uisum ei adferas librum **Augustini, Chrysolomi, Cyrilli, aut Ambrosij**. Quæ summa & execranda est abominatio, talis plane, ut de ea locutus est dominus, dicens: **Lux uenit in mundum, & magis dilexerunt homines tenebras quàm lucem. Quid itaque reliquum, nisi ut tandem perueniant ad principem tenebrarum in æternã damnationem?**

**11.** **¶** **I**amiam animus erat uela contrahere; & ecce plures se mihi offerunt ratiões, quas etiam oportet euoluere. & quinta quidem est, obex peccati. sicut enim qui male uidet, manu contegit oculos, ne offendant eum radij solis: ita & peccatum siue confusio est circa peccatum in multis, qui ideo solem iustitiæ uidere non possunt, iuxta illud **Iob: Rebelles fuerunt lumini, nescierunt uias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.** **Ea**q; est peccatorũ conditio, ut qui unum fecit, ad plura prolabatur. sicq; q in sordib; est, obsordescat adhuc, sic multi iam homines perditę leuitatis, facilius ad hæresim prolabuntur: quod ante & peccatis plurimis onustam humeris gestant sarcinam, & confusione uelut uestimento amicti circumueunt. sic filij sacerdotum & monachorum plerunq; ad hæreses prolabuntur usurariorum.

**¶** **H**uc pertinet quod inter hæreticos impune licet peccare quibuslibet, nec aliqua est bonæ disciplinæ ratio. neque enim refert apud eos, teiunetne aliquis an oret, an festum diem sancte transigat, nec quicquam interest num confiteatur, num offerat, num audiat missas. libere licet

carnibus uesci, cum uolunt & habent, processiones non obseruant, lumina non accendunt, neque dies anniuersarios celebrant. Ecquid hoc ordine facilius? quid hac semita ad gehennam tritius? nam si ad cælum tenditis, ad illam angustam CHRISTI uiam quantocyus properate.

Nonne putatis adulteræ placere hoc, cum audit sibi non esse confitendum? an non sic audeat quod aliàs uitaret? Nonne monachis & uestalibus arrideat, dum audiunt licere sibi secundum carnem uiuere, dum prædicatores eorum bis fultus & ter mali obgannunt, id ita recte fieri, & a Papistis, quos uocant, immerito prohibitum? Isti scilicet sunt, de quibus Ieremias: Sanabant, inquit, contritiones filiarum populi mei ad ignominiam, dicentes, pax pax, cum non esset pax. Isti etiam sunt propheta mendaces, de quorum improbitate conquestus apud prophetam dominus, dixit: Deceperunt populum meum, dicentes: pax pax, & non est pax. parietem liniebant luto absque paleis. Et deinceps uelut uiuis coloribus aptissimoque penicillo depingit propheta neochristianorum prædicatores, dicens: Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis, ad capiendas animas. et cum caperent animas populi mei, uiuificabant animas eorum. Et utolabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmentum panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & uiuificarent animas quæ non uiuunt, mentientes populo meo, & eredent mendacis. Et Gregorius, Quisquis ergo male agentibus adulatur, puluillum sub capite uel cubito iacentis ponit, ut qui corripitur pro culpa debuerat, in ea fultus laudibus, molliter quiescat.

Matth. 7.

Jeremi. 8.

Jezech. 22.

Grego. 19. mora. c. 3.

Ad hunc modum prædicatores istius carnis, homines attrahunt, dum eis omnem uitiorum colluuiem libere permittunt, dum missas & uigilias explodunt, ieiunia & confessionem etiam in exilium relegant. Væ autem istis qui dicunt malum bonum, & bonum malum: qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras: qui ponunt dulce amarum, & amarum dulce. Væ uobis qui sapientes estis in oculis uestris, & apud uosmetipsos prudentes. Aut potuisset ne p-

Iste. 5.

pheta magis proprie depingere sceleratam istorum malignitatem, qui execrabiles sunt omnino, iuxta illud Salomonis: Qui dicunt impio, iustus es, maledicent ei populi & detestabuntur eos tribus: qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos ueniet benedictio. Certe magna istorum errorum causa sira est in peruersis praedicatoribus, de quibus Paulus: Inquinatae sunt eorum mens & conscientia. Confitentur se nosse deum, factis autem negant, cum sint abominati & increduli, & ad omne opus bonum reprobi.

Tit. 1.

¶ Multa dici possent de flagitijs & sceleribus neochristianorum, sed hunc mitto. Miror tantum auditorum illorum stupiditatem, quos sane uel non satis bonos, uel minus prudentes esse oportet, quod dum audiunt praedicatorum suorum instabilitatem, inconstantiam, & pugnantissimam contrarietatem: tamen pertinaciter adeo ipsis credunt & adhærent, non credituri tantum uel Augustino uel Chrysostomo, etiam si uiuos audirent. Verum non possunt isti quicquam constans & firmum efficere, quia impius opus facit instabile.

Sapient. 11.

7. ¶ Ad extremum coronidis loco lubet rationes adhuc tres adnectere, & se prima quidem superbia est & huiusmodi philautia, ut ipsi sibi placeant homines, sic Hieronymus in multis locis matrem heresum facit superbiam.

Hiero. sup

Osee. 4.

Abdiel. 1.

Habac. 1.

Jere. 49.

Bernar.

8.

Eccles. 10.

Hoc est quod propheta dicit: Arrogantia tua decepit te et superbia cordis tui. addit Glossa, Quilibet haereticus arroganter nimium de se praedicat, quoniam superbia facit haereticum, non ignorantia & Bernardus ait, Superbo oculo ueritas non uidetur, sed sincero.

¶ Non inferiorem porro superbia efficaciam hic habet auaritia, sic enim Sapiens dicit, auaro nihil esse scelestius, quoniam & animam suam uenalem habet, & in uita sua proiecit intima sua. Aut cur putatis multos etiam praeceleros uiros, Lutheranos & Zuinglianos fieri, nisi quod uident opulenta ibi aliquot coenobia diripi, census ui occupari, decimas, anniuersaria & fraternitates abrogari, indeque sperant quaestum: neque adeo tamen illi inhiant, ut negligant ecclesiam, prouident enim ei de tribus aut quatuor etiam scilicet bonis (ita coram plebe pollicentur) & doctis praedicatoribus, de quorum salario quicquid reliquum est, qua-

Vis in quem conuertatur? inepte, id totum in publicam &  
 diuitem arcam congeritur, sane in arcam diuitem, unde  
 nihil sperandum sit pauperibus, quorum solo pretextu  
 caeteri interim fiunt opulentissimi, dum istis algere & esu  
 rire licet fortiter. Praeclare enim hic agitur, quia quamuis  
 sancti contemnantur, interea tamen aureae & argenteae  
 ipsorum arcae, imagines, thuribula, calices confringuntur,  
 & quaecumque alia sunt uasa deo cultuique dinino dicata, in  
 profanos usus conuertuntur. Quam non attendunt exē Daniel. 5.  
 pla regis Balthasaris, Antiochi, Heliodori, & ex praecipuis 2. Mac. 5.  
 Pompeii Magni, qui cum antea maximos gessisset trium- 2. 5.  
 phos, ubi primum templa uiolare coepit, infelices semper Josephus  
 habuit exitus. Et quid inde sperandum, nisi partim aeter-  
 num supplicium, parrim non plus fructus quam ex auro  
 Tolosano, cum nihil hic felicitatis, nihil fortunae bonae esse  
 queat: missas abrogant, sacerdotia abolent, census corra-  
 dunt egregie, neque uident illud oraculum ē Paulina tripo-  
 de profectum: Quia qui uolunt diuites fieri, incidunt in la- 1. Tim. 6.  
 queos diaboli. radix omnis mali est auaritia & cupiditas,  
 eam quicumque appetunt, errant a fide, inferentes se dolo-  
 ribus multis. Sed accedat Paulo & alius testis Sanctus Gre- Gregori.  
 gorius, & sacrilegos istos praedatores coarguat. Et sacrile-  
 gum, inquit, & contra leges est, si quis quod uenerabilibus  
 locis relinquitur, prauae uoluntatis studijs, suis tentauerit  
 compendijs retinere. Accede autem & tu sancte pater Hie Hierony.  
 ronyme, & da testimoniū aduersus sacrilegos istos: Ami-  
 co rapere quicquam, furtum est: at ecclesiam fraudare, sa-  
 crilegiū est. Atque huiusmodi flagitiū graui semper suppli-  
 cio etiā apud idololatras punitum est, autore Lucano: Lib. 5.  
 Quis enim laesos impune putaret  
 Esse deos?

Ad haec omnia multum facit inordinata uolunta-  
 tis adfectio, sicut nunc, proh dolor, plurimi Lutherani fi-  
 unt ob inueteratum suum odiū, quod semel aduersus cle-  
 rum uniuersum conceperunt. unde & praedicatores suos  
 instigant ad inuehendum contra Papam, pontifices & sa-  
 cerdotes. Quis enim haereticorum, inquit Hieronymus,  
 non despicit ecclesiasticos? Quis haereticorum non exul- Hiero. su-  
 tar in malis eorum? Et tales quidem homines irrequieti, per Abdia  
 P v





**S**ermonia  
notabile  
dictum.

ait **G**erson, corrumpunt omnem ordinem hierarchicum, non in ecclesia tantū, sed & in seculari politica. tales in fecerunt regnum Angliæ, destruxerunt studium Pragensē, & usque ad Scotiam peruenerunt. Quid si pius ille pater reuiuiscens, in hæc nostra redeat tempora? quid obsecro dicturus esset, conspicatus Lutherana rabie laborare tot inclyras, illustresq; regiones, Morauiam, Liouoniam, Daciam, Prussiam, Saxoniam, Hassiam, & quasdam alias, quam uis non ex integro, quia deus reseruauit sibi aliquot milia, qui non curuauerunt genua sua ante Baal?

¶ Sufficiant igitur hæc in præsentiarum dicta, dicant que hinc neochristiani, se non excusari de ignorantia, nihilq; esse quod clamitant, se, quicquid faciunt, animo bono facere, in laudem & gloriam dei. Quia sic Iudæi quæque rati sunt obsequium se præstare deo, quum **CHRISTVM** crucifigerent, Stephanum lapidarent, Matthiam aliosq; apostolos & martyres occiderent, & tamen grauissime in hoc peccarunt. Nos iam communibus uotis deprecemur dominum, ut gratia sua clementer illuminare dignetur omnes, quotquot ab unitate fidei catholice defecerunt, quatenus & ipsi semota cæcitate agnoscant errorem suum, pœnitentiã agant & confiteantur, planèque desistant: & sic ad unitatem fidei reuersi, nobiscum

nosq; cum ipsis ad unum illud ouile **CHRISTI** perueniamus, gloriam consequuturi felicitatis æternæ, quam nobis concedat Iesus **CHRISTVS** in secula benedictus, Amen.

## IN CELEBERRIMA

ET SANCTISSIMA FESTI-

uitate Pentecostes, Euange-

lium Iohannis XIII.